

trinq; interminabili vitæ simul totâ ac pérfectâ possessione.
Quæcunque enim perfectio, si Petrum Gassendum (*supra cit.*
p. 306.) audias, in DEO unquam fuit, ea jam actu perseverat, &
quæcunque in eo unquam erit, ea jam actu est, & nunquam
non fuit, & quæcunque jam est, ea jam actu semper fuit & a-
ctu semper erit. Creaturas verò vivere vitâ fluxâ, evanidâ,
cum motu & successione conjunctâ dies saltim docere nos
possunt singuli. Confer. Cloz. loc. cit. pag. 652. n) actiuâ,
non contemplativâ, nec tamen actu primo & secundo distin-
ctâ. Vide sis Suarez. *Disp. Metaphys. disp. XXX. sect. 14. num.*
6. Donat. *Pneum. Part. special. Cap. X. §. 3. pag. 205.* Ebell.
Opp. Tom. II. pag. 622. & 1230. Thomass. loc. cit. *Cap. 26. thes. 7.*
pag. 187. nec δ) actu secundo *tali*, sine interveniente actu
primo immediatè ab ipsa DEI essentia elicito; sed sine ali-
quo reali ad essentiam divinam addito. Conf. Cloz. loc. cit.
Disp. XII. §. 6. p. 658. adeoq; non per modum actus ad essen-
tiam accedentis se habente, ut observat Episcop. *Institut.*
Theol. Libr. IV. Cap. XV. pag. 296. θ) verâ, non imaginariâ,
 ι) essentiali, immediatè per essentiam, ut propriâ & quasi spe-
cificâ ratione, secundùm Suarez. *Disp. 30. sect. 14. num. 15.* Do-
nat. l.c. §. 3. Quensted. *Syst. Theol. Tom. I. cap. 8. sect. 1. thes. 22.*
not. 2. pag. 289. Rappolt. *Opp. Theol. pag. 10.* κ) formaliter ut sic
nullam formaliter inferente imperfectionem. Vid. Cloz. l.c.
§. 4. pag. 647. Suarez. l.c. num. 7. Ebel. *Opp. Tom. II. pag. 1230.*
 λ) Effectivâ, eo quod omnia à DEO omnium non quidem
formaliter, sed causaliter vel secundùm quod, juxta Bannes.
in Loc. Thome citat. habeant esse in DEO intellectum, vita, acce-
ptam ferant vitam. Conf. Quensted. loc. cit. not. 1. pag. 289.
ita, ut, autore Thomassino l.c. *Lib. III. cap. 20. §. 10. pag. 184.*
minuscula & extrema vita, vel vivendi potius umbra, in animal-
culis vilissimis obvia, ab illa vita summa, in minimis maxima, ut
dependeant, ita quodammodo illam emulentur, imitantur. μ) sim-
plicis.